



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ Præcones

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 9. Quæ malis, sua culpa, mala contingunt, ea, in diuinis oculis, tanquam ex iustitia orta, esse bona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

inferno, futura sit vis tormentorū. Ob has tales causas, si DEVS amicis suis mala imittit, nonne diligit? nonne vicissim & ipse diligendus est, & censendus bona potius, quam mala procurauisse? ac, ob vigilantissimam hanc sollicitudinē, paternamq; prouidentiam, beneficus potius, quam durus est appellandus? § IX.

*Que malis, sua culpa, mala contingunt, ea, in diuinis oculis, tanquam ex iustitia orta, esse bona.*

Quod si quidam mala malè sustinent, quia ipsi mali, iam multò minùs id, quod malum iudicant, Numini debēt attribuere, sed sibi. *In iudicijs, quae de Deo retuli, inquit Themistius, nihil aliud magis elucet beata illius naturae, quam ipsa bonitas. Vnde & nomen illi fecimus, idq; tanquam omnium illustrissimum dignissimumq;. Quando & longi cui esse, & plures potentia superare, multis etiam animae expertibus inesse cernimus. Caterùm Homerus hoc nō rectè est opinatus, duo, in Ionis domo, dolia jace- re, fatis plena, unum bonis, alterum aduersis. Neq; enim malorū, in caelo, vllum est penu. Sed hinc illa huius dolij confusio, à luto nimirū, terraq; in qua versamur, nosq; illud implemus, & euacuamus; neq; pueros fluere sinimus fontes il-*

Themist;  
Orat. 16.

lorum celestium bonorū, quæ assidue, & indefa-  
 rigabili animo suppeditat, ut Poësis Philosophica  
 ait, bonorum ille largitor, equitatis promus, cui  
 Iustitia, & recta lex assidet; cui Gratia: Euphro-  
 syne, Aglaia, & Thalia amabilis assistunt; cui  
 omnes ab humanitate appellationes sunt attri-  
 butæ; ut sunt placidus, amicus, hospitalis, suppli-  
 cum præses, urbiū custos, *SERVATOR*. Quid  
 aliud multis verbis vult Themistius dicere,

*Osee. 13. 9.* quàm, quod apud Oseã est, *Perditio tua, Isra-  
 èl, tantūmodo in me auxiliū tuū?* Poteras, eo-  
 dē fine, missas à DEO cruces ferre, quo ipse  
 eas vult ferri, & quo Sancti ferunt. Impati-  
 entiã tuã tibi crucē malã reddidisti. Porro  
 malis malè esse, quis indignè ferat? exedūt,  
 quod sibimet intriuerūt. Et, si iustitia bonū  
 quid est, pœna quoq; ipsa, quam iustitia im-  
 probis infligit, bona erit; atq; ita efficitur, ut  
 in impijs, in quibus aliud boni nihil est, saltē  
 hoc diuinæ iustitiæ bonū inueniatur; quod,  
 quando, sine emendatione eorum, irritum  
 exit, est tamē alijs in exemplum, atq; hinc  
 etiam bonum; quia malū, quod in vno ple-  
 ctit, in altero impedit. Quanquam etiã sæ-  
 pissimè è malis bonos facit, dū pœnam tan-  
 quã à se promeritam, (atq; ibi, vbi sine erro-  
 re æstimatur, hoc est, in conspectu altissimi,  
 bonam)

bonam) subire nō detrectant. Grandia mala Dominus, per virum DEI, minatus erat Heli sacerdoti: *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut nō sit senex, in domo tua, omnibus diebus. Et videbis emulum tuum, in templo, in vniuersis prosperis Israël, &c. ut deficiat oculi tui, & tabescat anima tua, & pars magna domus tua morietur, cum ad virilem etatē venerit. Hoc autem erit tibi signum, quod venturū est duobus filiis tuis, Ophni & Phinees, in die vno, morientur ambo.* Hæc eadē confirmata sunt, per Samuelem. Quid autē Heli respondit? *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* Pluris fuit, in oculis Domini, bonum fuisse: licet, in oculis hominum, tanta congeries pœnarum mala esset. Ita mala pro malis recipiens patiēter, bonus esse cœpit. Quid DEO potest esse magis gloriosum, quàm ex malis tot bona facere?

1. Reg. 24  
31.

§. X.

*Quo modo mala bonis bona sint?*

Enimuerò mala bonis bona esse, elegantissimè docet Saluianus Massiliensis Episcopus. *Aiunt, inquit, à Deo omnia prætermitti, quia nec coërceat malos, nec tueatur bonos, & ideo in hoc seculo deteriore admodum esse statum meliorum: bonos quidem esse in paupertate,*

Saluian, lib. 1. de vero iudicio, & prouidentia Dei,

B 5 malos